



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Bellum Sacrum Ecclesiae Militantis Contra Turcum
Communem Hostem Christianorum**

Vaux, Léonard de

Leodii, 1685

§. II.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64991](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64991)

lum quod Turcis indixerat, Anco-
 næ decessit: ibi & classem paratam,
 & Ducem Venetorum cum suo Se-
 natu commilitones Christi habuit.

§. II.

Plo II. successus est Paulus II. an-
 no Domini 1464. qui accepto
 nuncio Turcas captâ Epiro, in Illiri-
 cum iter parare, Legatos misit ad Re-
 ges, eos oratum ut compositis rebus
 suis, de Bello Turcis inferendo ad
 propulsandum injuriam Christiano
 Nomini factam cogitarent: & seriò
 totis viribus incumberent. Paulum II.
 excepit Sixtus IV. anno Domini 1471.
 qui ut Christianos Principes inter se
 dissidentes ad concordiam revocaret,
 & Sacro in Turcas foedere fociaret,
 Bessarionem Cardinalem Nicenum
 misit in Galliam, Rodericum Bor-
 giam, in Hispaniam; M. Barbum, in
 Germaniam & Pannoniam; Olive-
 rium Carafam Maritimæ 24. trire-
 mium Classi præfecit. Hisce junxere se
 quinquaginta Venetorum, 24. Ferdi-
 nandi Regis Aragonum, adeo ut illis

Turcæ ex Bosphoro, in Ægeum mare obviam prodire non sint ausi. Smyrna tunc in Asiâ capta, incolæque omnes abacti, constans fama est, Christianos eo anno magnam Asiæ partem, occupaturos fuisse, si ipsi mari, sicut Usûm Cassanus Persarum Rex terrâ, Turcas vexare perrexissent. Mox cum Scodra Ditionis Venetæ oppidum à Turcis oppugnaretur, Sixtus Scodranos com meatu & pecuniâ instruens ad hosti resistendum animavit. Rursum cum Turca Hydronte in Salentinis repente vi captâ, Italiam omnem incredibile terrore compleffet, Sixtus comparatâ classè hostem retrogredi compulit. Sub id tempus Cyprum occuparunt Veneti, ne in Turcarum potestatem veniret: Mahometes maximis viribus Rhodum oppugnans eam fortiter tuente magno Rhodiensium Equitum Magistro re infectâ discedere coactus est. In Sixti IV. morientis locum successit Innocentius VIII. anno Domini 1484. omnes Christianos Principes frequentibus nunciis hortatus, ut mutuis dissensionibus, & Bellis compositis, foederibus juncti Tur-

carum vires toto jam orbe formidabiles retunderent. Zizimum Sultanum Bajazetis Imperatoris Fratrem excepit, ac ejus operâ Bellum Bajazeti inferre meditabatur: qui ut illud à se averteret, quot annis Romam quadraginta aureorum millia, ad alendum fratrem submitit, atque Pontifici dono dedit, ferrum lanceæ quo latus Christi in Cruce perforatum est, quod Religiosè in Vaticana Sancti Petri Basilica asservatur, & visitur.

Constat igitur ad unum omnes ab Eugenio IV. usque ad Alexandrum VI. ex ordine Pontifices, fœderi Belloque Sacro totis animi viribus incubuisse, nimirum Nicolaus V. Calistus III. Pius II. Paulus II. Sixtus IV. Innocentius VIII. Horum vestigiis institère Leo X. Adrianus VI. Paulus III. Pius V. cujus operâ Solimannus Melitensem obsidionem solvere coactus est.

§. III.

ATque ut cœteros taceam; horum ac nominatim Pii II. & Pii IV. tam spiritus quàm nominis hæres